



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 17. An venditor potest fructus & utilitates rei venditæ percipere donec solvatur pretium?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

modi venditio censetur fieri sub tacita conditione, si venditor tradiderit tot oves, mensus fuerit tot modios tritici, &c. ita l. 35. ff. de *contrab. empt.* §c. Si tamen constitutus fuerit terminus, in quo res numeranda, vel mensuranda esset, & emptor monitus in mora sit, periculum rei deinceps emptoris erit: unde pereunte toto grege, vel acervo emptor pretium amittet l. 5. ff. de *peric. & commod. rei vend.* & l. 2. *Cod. eod. tit.*

*Resp. IV.* Cum ex duabus rebus una disjunctivè venditur, v.g. ex duobus equis unus, non determinando utram, si ambæ pereant post venditionem absolutè factam, emptor tenetur solvere pretium promissum, licet nihil receperit. Si verò alterutra duntaxat pereat, perit venditori, qui tenetur alteram tradere, l. 34. ff. de *contrab. empt. & vend.*

**Q. 17, An venditor potest fructus, & utilitates rei venditæ percipere, donec solvatur pretium?**

*Resp.* Secluso titulo lucri cessantis, vel damni emergentis non potest, si rem emptori tradiderit pretio promisso. *Est communis.* Quia tunc rei dominium translatum est absolutè in emptorem, ex l. 19. ff. de *contrab. empt.* res autem Domino fructificat, nec licet quidquam exigere præcisè ob dilationem solutionis: quod verum est etiam si emptor sit in  
mora



mora culpabili solvendi pretii, quia non desinit idcirco esse Dominus rei, ac proinde etiam fructuum. Sed tunc tenetur compensare interesse, quod ex dilatione pretii venditor patitur. Hinc quando venditio absoluta dissolvitur ex mutuo consensu, fructus sunt emptoris, cum tempore inter medio fuerit Dominus rei.

Imò non potest venditor accepta solum de pretio fide, fructus rei venditæ percipere, etiamsi res emptori non fuerit tradita, nec persolutum pretium. Quia perfecta venditione sicut rei emptæ periculum, & incommodum spectant ad emptorem, ita & fructus, & comoda ad eum pertinere debent: alioqui inæqualis esset contrahentium conditio, ideoque injustitia. Et ita statuitur *Instit. de empt. & vend.* ubi hæc ratio additur. *Nam & commodum ejus esse debet, cujus periculum est.*

Q. 18. *An licet vendere cum pacto retrovenditionis, & emere cum pacto redemptionis?*

Resp. I. Peccat contra justitiam, qui credito seu non numeratâ pecuniâ vendit alicui merces summo, vel medio pretio, ea lege, ut sibi retrovendantur pretio infimo numeratâ pecuniâ. Quia I. Innoc. XI. damnavit hanc propos. *Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem persone, & cum contractu re-*  
tra-